

St. iur. 2. num. 14

1726, 1

14

8 EX HISTORIA ECCLESIASTICA  
DE  
**CONCILIIS LA-**  
**TERANENSIBUS**  
IN HOLSATORUM INCLYTA ACADEMIA  
EX  
CONSTITUTIONE FRIDERICIANA  
PRAESIDE

**PHILIP. FRID. HANE,**

PHILOS. DOCT. HIST. ECCLES. ET PROFAN.  
PROF. PUBL. ORD. ATQUE ORDINIS SUI  
p. t. DECANI

PUBLICE DISSERET

RESPONDENS

**JOH. HENR. TWIETMEYER,**

ROSTOCH.

PHIL. ET THEOL. STUD.

ANNO MDCCXXVI. AD DIEM VI. AUGUST.

H. L. Q. C.


---

KILIAE,

LITTERIS JOHANNIS CHRISTOPHORI REUTHERI,  
ACAD. TYPOGR.



EX HISTORIA ECCLESIASTICA  
CONCILII LA-  
TERANENSIBUS  
IN HOLSTORIUM INCILIA ACADEMIA  
CONFIDENCE RERIDERICINA  
PRAESEDE  
PHILIP. FRID. HANE  
PHILIP. DOCT. HIST. ECCLES. ET PRACTIC.  
PROL. HIST. ORB. AETAE ORDINES IN  
ECCLESIA DISSEMINAT  
ECCLESIA DISSEMINAT  
ROSTOGH  
PHIL. ET THEOD. STED  
ANNO MCCXVII AD DVM AL AUGST.  
MFC  
K15143  
VGD. THOMAS  
VLLERS JOHANNIS CHRISTIANORI REUTHER



Q. D. B. V.  
DE CONCILIIS LATERANEN-  
SIBUS.

PRÆFAMEN.



rae multis suis Præcessoribus Papæ hodierni BENEDICTI XIII. sanctitatem late celebrant Pontificii: nos illam suis cultoribus merito relinquimus adorandam, nec illud invide-re poterimus, si vel olim Beatorum vel Sanctorum etiam cœtui eundem in his terris jam adscripserint. Illud saltem ex reliquis ejus operibus ad majorem quandam nos permovere attentionem debuit, quod Concilium aliquod in Laterano S. Johannis indixerit habendum, ipsamque hanc destinationem suam anno superiori etiam quodammodo executus sit; cuius quidem rei exemplum superior ætas in binis vix elapsis vidit seculis. Quemadmodum autem res Ecclesiastica omnis non parum undiqueaque ex genuinis suis antiqui-

A

tati-

tatibus superioribus temporibus fuit illustrata, ita quod ad Laterani, conciliorumque in eodem celebratorum faciem præcise spectat, hæc non adeo omnibus nota, & quod res videbatur aliena, & obsoleta, Nostratibus parum fuit obvia. Permovitque hæc ratio dubio procul celebratissimum Academiae Salanæ Theologum, atque Professorem hodie Primarium, Jo. Franciscum BUDDEUM, ut, quam superioriano Programmatis loco ederet, commentationem *de Conciliis Lateranensis rei Christianæ noxiis* ita adornaret, ut ad ævi superioris in hoc eodem Laterano res gestas subinde respexerit. Cumque tamen & scopum perinde suum ob oculos semper habuerit, ut quod rei Christianæ fuerit proficuum vel minus eliceret, facile inde colligitur, quod post institutam a se messem & spicilegium haud contemnendum aliis reliquerit. Ita autem non modo in singulorum hic habitorum conciliorum actis percensendis, atque certo completoque eorundem numero ineundo multa fecit reliqua, sed & quæstiones præterea non una occurrunt, ex pragmatice Lateranensium rerum consideratione decidenda. Operæ igitur hoc precium esse, facile quis admiserit, ut ex idoneis, quæ forte ad manus sunt, præsidiis atque fide dignis monumentis, iterata quædam de hoc argumento commentatio instituatur. Quæ autem ex temporanea quædam scriptione in hunc censum afferri licuit, in Capita s. Sectiones duas dispescuimus. Quarum prima exhibebit historicam horum Conciliorum seriem: Secunda vero praxin exponet, & quasdam non exigui momenti, ad hanc causam spectantes, quæstiones ex fontibus H. E. genuinis illustrabit. *Faxit Deus Feliciter!*

## SECTIO I.

## SECTIO I. HISTORICA.

S. 1.

**C**oncilia Lateranensia, horumque faciem ad hodiernum usque diem historica narratione delineatur, ad incunabula illorum primo respiciendum, probe jadicamus: Ubi missis quidem, quæ de Conciliis ex Antiquitate ac Historia Ecclesiastica in communi afferri solent, rationem saltem vocis *Laterani* habemus, unde hæc Concilia Laterana insigniuntur? Quantum igitur ex veterum monumentis ac scriptoribus tam priscorum seculorum, quam recentioris temporis (\*) colligitur, palatii faciem præ se olim basilica illa tulit, quæ jam vocatur Laterana, ac sita est in monte Cælio, qui est in secunda Urbis regione: Structorem sui agnoscit *Lucium Sextum Sextinum Lateranum*, qui primus ex plebejis ad consulatus spartam & dignitatem ascendit A. U. C. 380. Post quæ fata inter familias Patritias ejus quoque posteri locum semper habuerunt, ut videre est apud Fulvium *Ursinum* in Familia Romanis, & Onuphr. *Panvin.* in Fast. Consul. ad A. 380. Qualis vero origo nominis *Laterani*, an a lateribus, ex quibus Palatium hoc magnifice exstructum; an a latere, illa corporis humani sub alis parte, quemadmodum Cicero abs Cicerone malis suis inhærente, hic Vir nomen suum duxerit, CIAMPINUS ipse l. c. C. II. p. 4. determinare haut audet. Ineptam vero & hac longe futiliorem esse derivationem facile agnoscamus, quam afferre barbaro quondam seculo voluit *Rupertus*, Abbas Tuitiensis, Neronem huic loco nomen dedisse hariolatus, quod ille ibidem *latens ranas eructaverit*; hac sua nominis hujus originatione false derisus & satis explosus ab aliis. (\*\*)

(\*) Sequimur RASPONUM, ALEMANNUM & CIAMPINUM, qui principiam & peculiarem in rebus, ad Lateranum pertinentibus

A 2.

bue

bus, explicandis operam posuerunt. Et Cæsar quidem RASPO-  
NUS, S. R. E. C. de Basilica & Patriarchio Laterano Lib. IV.  
Rome 1656. in fol. edidit. Nicolai ALEMANNI, natione Græci,  
Rome autem in Vaticano Bibliothecarii, Diss. de Lateranensibus  
parietinis ibid. 1625. jam prodierat; nunc autem in capitulo a J.  
G. GRÆVIO, atque a Pet. BURMANNO continuato splendissimo  
Thesauro Antiquitat. & Hist. Italie Tom. VIII. Vol. IV. n. IX.  
recusa iterum prostat. Jo. CIAMPINUS de Sacris Ædificiis &  
Constantino M. constructis synopsin historicam 1693. in fol.  
Rome publicavit.

(\*\*) A Thoma nempe REINESIO de Palatio Lateranensi ejusque  
Comitiva p. 19. seqq. Cel. BUDDEO. l. c. & Jo. Christoph. CO-  
LERO in Anthologia P. 1. §. 7. p. 47. seqq.

§. II.

Qui, quales, & quot Sextiorum successive hoc incoluer-  
rint Palatum, æque non constat, nisi quod apud nonnullos  
Autores mentio iniiciatur Plautii Laterani, quem a Nerone gla-  
dio interfectum Tacitus scribit Annal. Libr. XV. Cap. 49. Sextilius  
Laterani sub Marco Aurelio & Claudiis Laterani sub Severo, quo-  
rum juxta ac aliorum non nullorum nomina ex idoneis mo-  
numentis excitat Ciampinus l. c. p. 4. sq. Viri vero hi partim Con-  
sularem & Senatoriam dignitatem ornarunt, partim bellicis &  
civilibus rebus ac muneribus fuerunt insignes. Quo demum  
fato, an jure hæreditatis, an publica proscriptione, an morte  
Plautiorum Sextorum, virili genere deficiente, ad Faustum  
Uxorem Constantini M. hæc basilica devenerit? Ciampino l. c.  
p. 6. ignorantiam suam hic ingenue fatente, neque nos inve-  
stigare amplius sustinemus. Hoc tamen certum, quod Con-  
stantini M. tempore hoc palatum maxime eniuerit, ubi a  
Constantino M. ad sacra ibi peragenda destinatum, multisque  
prærogativis auctum, Melchiades & post illum Silvester Epis-  
copi

scopi & Præfulis officium in illo sustinuit. An vero Papæ ut Pe-  
tri successor Constantinus M. hoc templum tanquam peculium  
donaverit, illa sub judice lis est, de qua infra.

## §. III.

Antequam progrediamur dispiciendum erit, quibusnam  
templum hoc gaudeat titulis: inter quos multæ consideratio-  
nis est vox *Basilica*, cuius εὐροῦ cum in aprico sit positum,  
usum loquendi tantum respicimus: Erant nimis magnifica et  
admodum columnis multis suffulta, & piano tecto, in qui-  
bus mercatores non modo merces suas vendebant, verum etiam  
judicia exercebantur, & forte etiam non nunquam recitationes  
fiebant, teste Gisberto CUPERO in Epist. II. Laetantii editioni  
de mortibus persecutorum Ultraject. 1692. p. 324. adjecta, ad-  
datur Basil. FABRI Lexicon, a Buchnero Cellario aliisque au-  
t̄um in voce *Basilica*: hinc quia modo enumeratis affectioni-  
bus gaudebat Plautii Laterani palatium, nomen etiam retinuit,  
cum a Constantino M. sacris Christianorum initiatum esset.  
*Constantiniana* porro insignitur, quia hic Imperator auctor fuit  
cultus veri in illo instituti, nullatenus vero, quod ab illo hoc  
templum sit constructum, ut Ciampino p. 7. persuasum fuit.  
Ecclesia s. Johannis præterea audit, a baptismali fonte in quo  
Constantinus a lepra purgatus, sed teste idoneo nullo, vulgo  
traditur; quamvis nec in hoc sibi constare videatur Ciampinus  
p. 12. & 13. ubi præter Johannem Baptistam & Johannem Apo-  
stolum & Evangelistam Ecclesiae hujus Patronum facit. Eccle-  
sia *Salvatoris*, quia hujus vero cultui fuit consecrata; Denique  
pro Ecclesiarum omnium matre, quæ reliquias tanquam filias  
enixa sit, abs Pontificiis habetur. Reliqua nomina, cum non  
sint adeo magni momenti, hoc loco prætermittimus.

## §. IV.

Quod ipsæ hæc ædes Lateranenses inde per mille annos  
& ultra, siquidem haut fallit calculus a Ciampino initus, fue-

A 3

rint

rint sedes Romanorum Pontificum, qui & inde nomen traxerint peculiare, ad institutum nostrum non adeo pertinet, quare præter appositum Reinesii l. c. p. 21. datum judicium de hac re nihil addere hic libet. Ita autem Reinesius: *Pontifices Romani, inquit, cum nondum sibi consciæ essent omnipotentie & maiestatis sua, titulo Lateranensis episcopi contenti erant, angusti ruris tum coloni.* Longo syrmate deducere quoque possemus quæ fata vel secunda vel adversa, quæ ruinæ, quæ incendia, quæ iterum restaurationes & ornamenta illi obtigerint, siquidem & hæc ad scopum nostrum quicquam facerent. Præter enim Cæs. RASPONUM, Alemannum, Ciampinum supra excitatos hæc latius edifferuntur apud Onuph. PANVINIUM, Guid. PANGIOLLUM, Georg. FABRICIUM in *Descript. Rom.* una cum Alexandr. DONATI S. J. *Roma Vet. & recent.* in Jo. G. GRÆVII *Thesauro Antiquitat. Rom.* Tom. III. recusos, quibus & novissime accesserunt Alexandr. BALDESCHIUS & Jo. Maria CRESCIMBENIUS in *Comment. sub. tit. Stato della chiesa papale lateranense nell anno 1723. Rom. 1723.* edit. vid. A. E. rud. Lips. Ao. 1725. m. Mart. p. 129. sqq. Missis autem his, ut de palatio adjacente peculiariter quædam adjiciamus, sequens nostra narratio sibi postulat: si enim Ciampino credimus, Constantinus M. prope Basilicam exstruxit Palatum aliquod, vulgo patriarchium dictum, in quo pontifices sedem fixerunt; Unde & factum est, ut quædam Concilia in Palatio, quædam vero in ecclesia Laterana sint habita, quorum distinctam rationem habendam esse, mox infra videbimus.

## §. V.

Ad ipsa jam Concilia Lateranensia accedentes, primum illud ut multis moneamus supervacaneum ducimus, esse hæc probe discernenda a Conciliis aliis Roma itidem celebratis, utpote quorum numerus centenarium longe superat. Vid. ho-

rum catalogos a Guil. CAVE in *Hist. Lit. Script. Eccl.* à b. Casp. SAGITTARIO in Supplém. s. Tom. II. *Introduct. in Hist. Eccl.* p. 1311. sqq. ac novissime omnium à Cel. Jo. Alb. FABRICIO in *Biblioth. Græc.* Vol. XI. ordine chronologico suppeditatos. Illud vero prænotasè nostra magis interest, cujus mentionem jam in præced. §. paucis injecimus: nimurum celebrata esse concilia hæc Lateranensia alia in ipsa ecclesiæ hujus Laterani basilica, alia vero in adjacente eidem palatio seu patriarchio, illa Romanorum Præfulum sede paulo supra descripta. Horum peculiaris, quod aliis haut observatum deprehendimus, ratio habita est Cæl. RASPONO & Jo. CIAMPINO, ita quidem ut ecclesiæ istius Basilicæ Concilia in universum XXV. aulæ vero ejusdem palatii Synodos præterea VIII. peculiariter ibidem habitas, adsignent. vid. *Raspon.* l. c. Lib. II. Cap. 11. & Lib. IV. Cap. 4. & ex eodem *Ciampin.* p. 18. Positus autem hic numerus, ubi subducto calculo XXXIII. in universum Concilia Lateranensia prodeunt, immane quantum discrepat ab aliis, qui singulis in Laterano habitis conciliis ordine suo recensitis, summam illorum inire voluerunt. Sic enim CAVE in Indice Conciliorum *Hist. Liter.* edit. Genev. 1705. subjecto p. 227. XI. Concilia Lateranensia numerat, I. a. 649. II. 1102. III. 1104. IV. 1110. V. 1112. VI. 1116. VII. 1123. VIII. 1139. IX. 1168. X. 1179. XI. 1215: habitum, cui adjici potest, ad quod ipsius historia non pertingit, XII. anno 1511. coactum. Nec a Caveo discesserunt SAGITTARIUS & FABRICIUS ll. cc. quos & presso nuper secutus pede videtur BUDDEUS ad numerum hunc duodenarium XIII. illud, quod hodiernus Papa BENEDICTUS celebravit, solummodo addens. Cum de concilia andia horum calculorum tam insigni differentia pluribus deinde nobis dispiendum fuerit, illud tamen hic prænotare jubarit: Dari nempe inter XII. illa a posterioribus hisce scriptoribus

ribus adducta concilia, vel V. minimum, quæ a Raspono in catalogo suo longe prolixiori prorsus silentio prætermissa sunt. Non possumus igitur, quin ordine chronologico concilia La-  
teranensia, quotquot reperire potuimus, omnia, adscriptis  
auctorum suorum nominibus in peculiari quadam tabula, ut  
differentia lectorum obtutui sit facilior, hic subjiciamus:

*Concil. Annus. Papa.*

*Autor.*

I.	313. Melchiades.	Rasponus.
II.	337. Julius I.	Raspon.
III.	484. Felix II. s. III.	Raspon.
IV.	499.	Raspon.
V.	500. Symmachus.	Raspon.
VI.	501.	Raspon.
VII.	649. Martinus I.	Rasp. Cave. Sagittar. Fabric. &c.
VIII.	680. Agatho I.	Raspon.
IX.	732. Gregorius III.	Raspon.
X.	745. Zacharias.	Raspon.
XI.	769. Stephanus III.	Raspon.
XII.	861.	Raspon.
XIII.	862. Nicolaus I.	Raspon.
XIV.	- - Johannes X.	Raspon.
XV.	993. Johannes XV.	Raspon.
XVI.	- - Benedictus VIII.	Raspon.
XVII.	1050.	Raspon.
XVIII.	1051. Leo IX.	Raspon.
XIX.	1058. Stephanus IX.	Raspon.
XX.	1063.	Raspon.
XXI.	1065. Alexander II.	Raspon.
XXII.	1065.	Raspon.
XXIII.	1078. Gregorius VII.	Raspon.
XXIV.	1079.	Raspon.

XXV.

<i>Concil.</i>	<i>Annus.</i>	<i>Papa.</i>	<i>Auctor.</i>
XXV.	1102.		Raspon. Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXVI.	1104.		- - - Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXVII.	1110.	Paschalis II.	- - - Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXVIII.	1112.		- - - Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXIX.	1116.		- - - Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXX.	1122.	Calixtus II.	Raspon. Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXXI.	1139.	Innocentius II.	Raspon. Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXXII.	1168.		- - - Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXXIII.	1179.	(Alexander III.)	Raspon. Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXXIV.	1215.	Innocentius III.	Raspon. Cav. Sagitt. Fabric. &c.
XXXV.	1302.	Bonifacius VIII.	Raspon.
XXXVI.	1512.	Julius II. Leo X.	Raspon. Sagittar. Fabric. &c.
XXXVII.	1725.	Benedictus XIII.	

## §. VI.

Ut in summam contrahamus, quæ circa traditum hunc generalem omnium Conciliorum Lateranensium indicem observari atque moneri possunt, primum ad causas respiciemus, unde hæc computi inter scriptores adductos discrepantia origine forte suam trahere potuerit? I.) Igitur notamus: Concilia illa Lateranensia, quæ *Rasponus* numero longe plura adducit, a scriptoribus istis reliquis non prorsus quidem omitti, sed alio loco, in catalogum Romanorum Conciliorum referri. II.) Concilia illa VIII. quæ in palatio Lateranensis Ecclesiæ celebrata tradit *Rasponus*, esse inter ista, quæ scriptores reliqui a Lateranensibus rescindunt. III.) Non convenisse unquam inter Pontificios, ut Concilia Lateranensia omnia præcise a Romanis distinguerent, quin potius V. illa, nobis N. XXX. XXXI. XXXIII. XXXIV. & XXXVI. posita, tantummodo Lateranensia vulgo nuncupant, ea quidem ex causa, ut istis, quæ libenter Universalia s. Oecumenica vellent, peculiarem quan-

B

dam

dam exinde auctoritatem conciliarent. IV.) Hinc forte esse factum, ut Nostrates si non omnia, nonnulla tamen concilia prioribus adjungerent, in eodem Laterano celebrata, ut auctoritas illa universalis decederet, ex loci hujus forte dignitate petit. V.) Denique Raspono, cum & ipse nonnulla ab aliis recensita prætermiserit in suo catalogo, nec forte suas defuisse rationes, quas an hariolari poterimus, infra periculum faciemus.

## §. VII.

Ex his igitur præmissis, cum de causis unde tam diversus apud diversos auctores Conciliorum numerus evaserit, constare quodammodo potuerit, jam etiam, quid in tota re tenendum sit, exinde concludere primum est. Nimurum calculum a CAVEO, SAGITTARIO, FABRICIO aliisque subductum non quidem esse completum; illud tamen ipsis yitio haut vertendum, cum nec Pontificii ipsi vel olim vel etiamnum Lateraniensia adeo sollicite a Conciliis Romanis distinxerint, sed eadem ut plurimum sub Romanorum titulo allegaverint. Imo nec Nostrates illos distinctionem illam adeo præcise curasse, vel ex eo patere, quod nec illud nobis Imo loco positum de A. 313. *Caveus*, nec XI. a. 769. habitum concilium vel *Caveus* vel *Sagittarius*, vel *Fabricius Romæ* in Laterano celebratum fuisse diffiteantur, ut illud pluribus adhuc infra demonstrabimus. Hac igitur ratione nos duos, illud haut præter rem a nobis esse factum, ut calculos, a laudatis nobis auctori bus omnibus initos, conjunxerimus, & Raspono quidem hoc magis nos dedisse fidem, ut numerosiorem ejus catalogum simul adhibuerimus, quoniam illi tanquam scriptori in hac causa domestico, & Ecclesiæ istius quondam Canonico, majora procul dubio præsidia, hanc rem altius investigandi, nec cause nobis etiam hic peculiares appareant, quod ille in hac re lectorem studio fallere voluerit.

## §. VIII.

## §. VIII.

Sic igitur de numero Lateranensium Conciliorum nunc etiam certi, de actis atque decretis Conciliorum horum omnium ordine foret præcipiendum. Ast cum laborem hunc egregie jam subleverant alii, non quidem opus esse arbitramur, ut actum hic ubique agamus. Non enim modo insignis auctorum farrago profat, qui Conciliorum omnium historias & synopses peculiari industria consignarunt, ut horum prolixum & omnium absolutissimum Catalogum nuper suppeditavit etiam Cel. FABRICIUS in laudato *Biblioteca Grac.* Vol. XI. Cap. II. §. II. p. 100. sqq. ex quo uno alteroque consulto, facile, quid ad Lateranensia nostra pertineat, huc transferri poterit. Sed & ex ipsis nobis saepe laudatis scriptoribus, CAVEO nempe & SAGITTARIO, præsignem in rem nostram petere licebit apparatus. Et CAVE quidem in *Hist. Liter. Script. Eccl.* P. II. Lond. 1697. primum edita, præclaram Conciliorum omnium notitiam peculiariter tradiderat, quæ deinde in opere suo Genev. 1705 & 1720. recuso, suo quolibet loco inserta fuit. In SAGITTARII autem Tom. II. *Introduct. in Hist. Eccles.* qui supplementa continet, Ven. Abb. Jo. Andri. SCHMIDII, proh haut ita pridem defuncti! studio & opera potissimum adornata, luculenta satis omnium Conciliorum ordine alphabeticō digesta recensio a p. 781-1494. occurrit, accuratiorem simul actorum indicem complexa. Ex his autem, si decerpantur, quæ ad Lateranensia iidem referunt, junganturque cum iis, quæ sub Romanis illi, ut monitum est, adhuc comprehendetur, in plurimis lectorem haut facile inopem a se dimittent. Quid quod Cel. BUDDEUS in *commentat.* saepe cit. de allatis a se Conciliis Lateranensibus haut pauca etiam inde attulerit, quæ iterum repetere haut nobis est animus. Denique cum Celebratissimo Hamburgenſ. Polyhistori, Jo. Alb. FABRICIO, post tot horum,

B 2

alio-

aliorumque exantatos labores non defuerit copia, ut uberiorē adhuc huic de Conciliis argumento lucem accenderet, istisque rei integer *Bibliotheca Graeca* Tom. XIimus & pars XIII*missa* inferviat, quid ille in rem nostram totiusque rei literariae præstiterit, paulo distinctius hoc loco enarrandum esse arbitramur. Specialiora quidem subinde recurrent; in genere tamen illud præmonendum ducimus, prater generalia ab ipso Cap. II. & III. Conciliorum quorumlibet tradita præcognita, comparere primum Cap. IV. Indicem conciliorum omnium alphabeti-<sup>142.</sup> cum, qui non modo omnes ante editos longe post se relinquit; sic enim v. c. numerus Conciliorum Romanorum, quem *Buddeus* l. c. p. 4. ex Sagittario perfectiore producit, hic ad 160 prope auctus habetur: sed & illud peculiare habet, quod e regione statim adnotatum legatur, in qua præstantiorum, quas habemus Conciliorum editione, REGIA nempe LABBEANA, & novissima HARDUINIANA, cuiuslibet concilii acta decretaque suo quolibet loco disposita deprehendantur. Quo labore ab inexhausti laboris Viro præstito, nec ab alio quoquam haut facile imitando, cum de literaria republi-*ca* immortaliter meritus sit Vir supra nostras laudes positus, ita haut minor est, quem deinde eodem adhuc Cap. à p. 337. usque ad fin. Vol. in tradenda Conciliorum chronologica no-*titia* subiit, ubi quidem prædictas istas Conciliorum collectio-*nies*, harumque ingentia Volumina non modo ad singulos annos accurate designat comparatque, sed & prorsus eviscerat. Contulitque præterea ex BALUZIO, HARDTIO, aliisque, qui singulorum Conciliorum rationē habuerunt, omnia, quæ ad totum hoc argumentum, quocunque modo illustrandum, quicquam facere potuerunt.

## §. IX.

Hoc autem modo cum viam jam satis habeamus præmu-  
nitam

nitam, pede nunc magis inoffenso ad Laterana nostra concilia progredi, eademque cum sigillatim excutere haut opus sit, facili negocio percurrere poterimus. Imum igitur Concilium Lateranense nobis habitum est illud, quod iussu Constantini M. Imp. a Melchiade s. Miltiade, Episcopo tum Romano, fuit constitutum. Diserte hanc synodus Laterano assignat OPTATUS Milevit. Lib. I. contr. Donatist. p. 25. scribens: *Convenierunt in domum Fausta in Laterano.* Cumque Rasponus, Ciampinusque illud de palatio basilicæ adjacente interpretentur, idemque Caveus l. c. p. 222. ultro agnoscat, reliqui loci hujus rationem determinatam reticentes, pro dissentientibus non habentur, ut hæc adeo disputare haut amplius opus sit. IIIdum, IIIIum, IVtum, Vtum atque VIItum ex Rasponi atque Ciampini fide Lateranensis fuere annumerata, ab aliis etiam inter Romanas referuntur, præter IIIdum, quod Cave plane omittit. IIIIum quidem Sagittarius l. c. p. 1325. in Basilica S. Petri, sed teste haut adducto, collocat. Tria posteriora Rasponus iterum palatio s. patriarchio adsignat, reliqua in ipsam basilicam rejicit. Acta, Canones atque Decreta videantur apud Fabricium, quod semel monuisse sufficiat.

§. X. lib. auto. histor. musib.  
VIIum, quod ordine nostro sequitur, Concilium in Lateranensi Basilica a Martino I. Papa habitum, non Raspono tantum & Ciampino, sed & Caveo, Sagittario, Fabricio aliasque etiam hic determinate memoratur. Hujus celebritatem post Buddeum ex BARONIO atque Ant. PAGI haut iterum repetemus, quæ & forte causa fuit, ut concilium illud vulgo inter Lateranensis primo loco collocetur. VIIIvum, IXnum & Xnum ex Rasponi primum auctoritate nobis quidem pro Lateranensis habentur. Sed nec alii plane dissentiant. Evidem Cave p. 397. diserte VIIIvum illud in basilica Constanti-

niana, quæ eadem est, cum Lateranensi, (vid. supra §. III.) ab Agathone Papa congregatum esse fatetur. Cum eodem conspirat *Sagittarius*, p. 1335. basilicam Salvatoris, quæ & Constantina appellatur, indigitans; quamvis hic posterior in anno, quem loco 680 substituit 678, non conveniat, ex eo forte confusus, quod aliud concilium præterea Romæ ab eodem Agathone anno 860 celebratum vulgo commemoretur, vid. *Fabri*cii, qui haec Romana simpliciter nuncupat l. c. p. 469. De IXno tamen sub Gregorio III. hujus nominis Papa, a. 732. habito concilio difficilior quæstio oriri posset, quod *Cavéus* p. 425. & *Sagittarius*, p. 1337. ad ipsum *Ciampinum* l. c. p. 101. sq. ubi de Basílica S. Petri in Vaticano præcipit, marmorea monumenta in hujus Concilii memoriam producentem provocent; sed vero cum eadem monumenta ex parte vetustate exesa sint, tum etiam bina concilia circa idem tempus Romæ celebrata esse inter scriptores hos conveniat, horum alterum ad Lateranum referre licebit, ne *Ciampinum* vel sibi ipsi vel Raspono etiam contradixisse, statuisse oporteat. Denique Ximum illud *Cavéus* p. 426. quoque diserte post Rasponum in patriarchio Lateranensi collocat. *Sagittarius* atque *Fabri*cii Romanum dicunt simpliciter, cuius differentiæ ratio ex superioribus ab unde patet.

Ximum, quod sequitur, illud est, de quo jam supra specimenis loco observavimus, quod præter Rasponum & Ciampinum & auctores a nobis citati reliqui in eo convenient, esse hoc ipsum in Lateranæ basilica celebratum, licet indices eorumdem ad Romana duntaxat concilia illud referant, vid. CAVE p. 427. *SAGITTARIUS* p. 1337. sq. *FABRICIOS* p. 483. XIIimum & XIIIitum fide nituntur Rasponi & Ciampini; reliqui Romanis eadem adnumerant. XIVtum nobis cum Ra-

spo-

spono in hunc censum vocatum, inter incertiora merito relin-  
quimus. Quod enim *Giampino*, qui nec annum sub Papa Jo-  
hanne X. determinare audet, fatendum est, se in Collectione  
Conciliorum Labbiana nusquam reperire hujus Concilii vel  
acta vel decreta, id nobis quoque de Regia atque Hardainiana  
Conciliorum editione haut inficiari licet, utpote nec volam  
nec vestigium hujus rei ostendentibus. Non igitur mirum,  
quod reliqui hic plane taceant. Certius vero est XVtum, ut-  
pote de quo Rasponus praeceps locum, quod in palatio Latera-  
ni sit habitum determinare valet; reliqui etiam inter Romana  
admittunt. Hoc præterea ex eo celebre est concilium, quod  
in illo primus solennis a Pontifice Romano exercitus Canoniza-  
tionis actus, qui dubio vacat, in Udalrico Augustano Episco-  
po extiterit, teste Jo. MABILLONIO in Sec. V. Benedict. n. 99.  
sqq. & ex eo PAGI, in Critica Tom. IV. p. 63. sqq. conf. etiam  
PAPEBROCH. in Diff. de solennium canonisationum initis ac  
progressibus, quæ inserta est propylæo ad Act. Sanct. m. Maji p.  
171. sqq. XVIIIi denique Concilii pars ratio cum præcedente  
XIVto erit habenda.

### §. XII.

Ad XVIIum & XVIIIum ordo nos duceret Concilium,  
utrumque abs Papa Leone IX. a. 1050. & 1051. congregatum;  
sed cum peculiare nihil de iis habeamus monendum, absque  
ulteriori animadversione eadem dimittimus. De XIXno ve-  
ro insignis quidam chronologicus scrupulus venit examinan-  
dus. Nos Raspono duce ada. 1058. sub Papa Stephano IX. (al. X.)  
illud locavimus; in quo tamen iste ex reliquis nostratis  
consentientem habet neminem. Ita enim nec *Cave*, nec *Sagittarius*,  
nec *Fabricius*, nec etiam aliquis ex Conciliorum Col-  
lectoribus sub Stephano IX. Concilium quoddam habitum a-  
guoscit ullum; a Præcessore Papa Victore II. a. 1057. conci-  
lium

lium aliquod esse celebratum affirmat *Fabricius* p. 583. & in Constantianam s. Lateranensem basilicam illud diserte relevant *Cave* p. 548. & *Sagittarius* p. 1352. Imo & cum his consipiat Onuphr. PANVINIUS Lib. IV. de Basilic. Lateran. Porro & Stephani Successor, Nicolaus II. concilium congregasse sequente mox anno 1059. consensu fere omnium prohibetur, quibus & accessit nondum a nobis excitatus, b. Joach. HILDEBRANDUS in *Hist. Concil.* p. 164. sq. hoc ex Lateranensis Conciiliis secundo loco memorans: addatur etiam Barthol. CARANZA in *Summa Concil.* p. 594. edit Duac. de 1659. Cumque adeo ex his appareat, erratum esse fortean a Raspone duce nostrate, tamen nec inter alios tam accurate convenit, ut res omnis ad liquidum perducta videri queat; ac licet propter rationes adhuc incertas seriei cum Raspono inchoatam non statim esse mutandam duximus, item tamen istam non omnino facimus nostram, sed in medio relinquimus, prolixius ab aliis, quibus placet, deducendam. Tria porro XX. XXI. & XXIdum, ab Alexandro II. Papa, prius a 1063. & posteriora duo utraque a. 1065. coacta, profert Rasponus; ab aliis pro Romanis habentur tantum, sed Raspono, qui adeo praeceps locum, ut priora duo in basilica Laterana, posterius vero in ejusdem palatio, quorum quidem postremum est, collocat, tandem sper credimus.

### §. XIII.

Sub Papa Gregorio VII. (Hildebrand antea dicto) concilia duo, XXIII. & XXIVtum nempe in censum nostrum retulimus. Præter Rasponum & *Cave* p. 551. & *Sagittarius* p. 1356. horum prius de a. 1078. ecclesiae Lateranensi, quam Constantianam s. S. Salvatoris designant, relinquunt; alterum cum *Fabricio*, qui & prius ita nuncupat, pro Romano venditant. Sequuntur Concilia quinque, a XXV ad XXIXnum juxta nostrum cal-

cu

culum; quæ omnia, ut præfert index noster, Paschalis II. Papa  
coœgit, non sine animadversione quadam nostra prætermitten-  
da. In hoc autem inter auctores ita convenit, ut *Cave*, *Sagittarius*, *Fabricius*, aliique cum illis hæc singula quinque Latera-  
nensi basilicæ adsignent. *Rasponus* autem & post eum *Ciam-  
pinus* primum saltem ex his de a. 1102. Lateranense agnoscunt,  
de quatuor reliquis altum silent. Non igitur & hæc e Latera-  
nensium Conciliorum catalogo fuissent eximenda? Non pu-  
tavimus: Etenim tanta non est apud nos Rasponi, quem hucus-  
que merito admisisimus, auctoritas, ut ejus silentium contra  
tot diserta auctorum coœvorum, a ducibus nostris reliquis  
cumulate adductorum, testimonia valeat; quid quod & ipsa  
horum conciliorum acta atque decreta suis quibuslibet locis  
apud inferiores etiam Conciliorum collectores, v. c. concilii  
de a. 1112. apud *Binium* &c. occurrant, cum quibus Rasponum  
merito committimus. Sicuti igitur in historia omni, ita & in hoc  
exemplo argumento negativo, i. e. a silentio auctorum du-  
cto, maxima cautione utendum esse arbitramur. Restat, ut,  
quod supra polliciti sumus, dispiciamus paululum, quas cau-  
fas forte habuerit suæ Rasponus, ut hæc Concilia reticuerit.  
Equidem hæc ipsi plane fuisse ignota, atque in monumentis  
Lateranensis domesticis, quæ ipsum alias consuluisse perhi-  
buimus, hæc esse sola prætermissa, vix vero nobis videtur simile.  
Si quid igitur conjecturando assequi valemus, acta a Pascha-  
le II. in his posterioribus conciliis forte non æque atque ea,  
quæ in priori a. 1102 perpetrativit, Raspono fuere ad palatum. Ete-  
nim illud, quod Imperatore Henrico IV. excommunicato, Jus  
investiturarum masculine adeo vindicatum atque anathematis  
fulmine corroboratum fuerat, non potest non ad blandiri Pon-  
tificum satellitibus. Quod vero in altero deinde concilio a.  
1104. idem fulmen quoque tentatum contra Angliæ Regem e-

jusque subditos, jam miserorum est solatium, ubi opulentissimum hoc regnum e faucibus atque potestate Pontificis peritus eruptum est. IIII<sup>um</sup> horum de a. 1110. non adeo magni momenti fuisse animadvertisimus: sed in IVto nobis haut obscura vestigia deprehendisse videmur, cur illud cordatiiores ex Pontificiis libenter e Lateranensium catalogo eliminatum vellent. Res paulo altius erit repetenda: Rex jam Germanorum Henricus V. Romam intraverat anno praecedente 1110. cui Paschalis Papa obviam factus, nescio qua pompa Regem excipiebat. Cum vero mox Episcopalis juris controversia agitari inciperet, Papa juramento ab Imperatore exacto hoc sibi soli adserere non verecundebatur. Quod Imperator ægre fērens, Paschalem cum suis satellitibus captivum custodiæ Patriarchæ Aquilejensi commisit. Tandemque causa hunc fortiebatur exitum, ut jus investiendi Episcopos penes Imperatorem maneret, in secuta solenni Imperatoris, a. 1111. circa festum Paschatos, coronatione ritu hoc peculiari, a Papa ex captivitate dimisso, confirmatum, ut interposita per eucharistiam, inter Imperatorem atque Papam divisam, jurisjurandi formula hanc juris sui renunciationem publice Papa testatam facheret. vid. ex pluribus istius ævi scriptoribus, Pet. DIACONUS in Chron. Cassinen. Lib. IV. Cap. XL. SIGEBERTIJS Gemblac. ad a. 1111. HELMOLD Lib. I. C. 40. OTTO FRISINGENSIS Lib. VII. C. XIV. SUGERIUS p. 290. GOLDASTUS Tom. uno. p. 255. &c. De more, hausto Christi poculo fidem jurandi, peculiariter adeundus Nicol. ALEMANNUS in Not. ad Procopium. p. 23. His ita compositis, cum pedem vix in Germaniam retulisset Imperator, ad priorem vomitum Papa redibat, convocat concilium hoc, a centum plus minus Episcopis in Lateranensi basilica habitum; rescinduntur pacta paulo ante cum Imperatore tantis fidei firmamentis inita; en totius fabulae æta seriem verbis

verbis HELMOLDI in Chronic. Slav. Lib. I. C. 40. Postquam ar-  
repta benedictione Imperator Teutonicas revisit terras, collecta est  
in urbe Roma Synodus centum viginti patrum, ubi Dominus Papa  
acrius accusatus est, pro eo, quod Regem sacrilegum, capto sum-  
mo Pontifice, tractis Cardinalibus, fuso sanguine Cleri & civium,  
ad imperiale culmen provexerit, insuper constitutiones Episcopo-  
rum, quas Patres sui ecclesiastico juri usque ad mortes & exilia  
defensaverint, huic omnium indignissimo etiam privilegio stabili-  
tiori. Ille pretendere coepit necessitatis articulum, maximaque pe-  
nitula minori diffendio intercepta, strages plebium, incendia urbis  
non aliter posse restringi, se quidem peccasse, sed impulsu: e-  
mendaturum se hanc noxam, secundum quod imperaret sanctum  
concilium. Accepta ergo satisfactione accusantium refriguit fer-  
vor, definitoque consilio, extortum illud privilegium non privi-  
legium, sed pravilegium vocitandum, ideoque anathemate re-  
scindendum sauxerunt, ipsum preterea Imperatorem a liminibus  
sancta Ecclesia sequestrandum duxerunt. Qui plura hujus fari-  
nae cupit, comparet cum Helmoldo & Concil. collectoribus  
TRITHEM. in Chronic. Hirsaug. p. 353. WILHELM. Malmes-  
bur. Lib. V. p. 618. CONRAD. Ursperg. ad h. a. GOTFRID.  
Viterbiens. Chronic. P. XVII. p. 504. sqq. addatur ex recentiori-  
bus NATAL. ALEXANDER. Hist. Eccl. N. T. Sec. XII. Diff.  
IV. Ant. PAGI in Brev. Pontif. Rom. p. 551. sq. Juvat Vti &  
ultimi a Paschale II. a. 1116. in Laterano celebrati concilii statim  
subjicere seriem, in qua eadem ab eodem chorda iterum  
oberratum est. Novo enim in Imperatorem fulmine, quod  
in priori erat sanctum, denuo fuit confirmatum. vid. citatos  
& praeципue URSPERGENS. ad a. 1116. p. 240. Qui plura de  
famosissima hoc aeo inter Imperatorem & Papam propter In-  
vestituram Episcoporum agitata controversia nosse cupit, ad-  
eat scriptores alibi a Preside adductos, in Specimine np. Anti-

quitat. Eccles. Mecklenburg. de *Episcopis in his terris primitivis*  
 Sect. II. §. I. & VI. add. Illustr. Burc. Gotth. STRUVIUS in *Syn-*  
*tagm. Jurispubl. Imp. R. G. Cap. X. §. 20. sqq.* Hæc potiora sunt  
 acta conciliorum, à Raspono Ciampinoque in numero Latera-  
 nensium omislorum: Nonne aliquid subesse causæ merito su-  
 spicemur, quod ejusmodi hæc talia sint, quorū inter Ponti-  
 ficios nonnunquam ipsos cordatiōres puduerit? Nobis id pro-  
 fus habetur persuasum, non posse ac debere Paparum quem-  
 piam, cui ex meliori luto sunt præcordia, haut rubore suffundi,  
 quando Patrem (si Diis placet) sanctissimum cum paetis, re-  
 ligioso jurisjurandi sacramento firmatis ad comedī vel histri-  
 nis instar fabulam egisse contueatur? *Licit enim Pontifex pa-*  
*etæ jurejurando confirmata revocare noluerit, dum tamen concilio*  
*Lateranensi hanc potestatem concessit, a perjurii crimine liberari*  
*nequit.* Frustra vim & metum obtendebat Pontifex, cum Imper-  
 ator sua tantum sibi adsereret, atque Pontificem ad ea reddenda  
 cogeret, que retinere non poterat: est epicrisis Ven. BUDDEI  
 de eodem concilio l. c. p. 17. cujus quæ sequuntur observata,  
 & hoc conferri merentur.

#### §. XIV.

Diutius ad concilia Paschalis II. detenti sumus, a reliquis  
 brevioribus nos expedituri. XXXmum ex ordine nostro se-  
 quitur Concilium, à Calisto s. Calixto II. in Lateranensi basilica  
 habitum. Quod cum apud scriptores omnes in confessio sit,  
 pluribus non morarunt illud, nec cessum illud ab Imperatore  
 Henrico V. in hoc demum concilio Episcopos investiendi jus,  
 hoc etiam loco, præter institutum nostrum vindicabimus. Quo  
 vero jure inter Generalia s. Oecumenica Concilia abs Pontifi-  
 ciis hoc ipsum cum quatuor ex sequentibus aliis referatur, da-  
 bitur infra in Sectione II. ulterior dispendiendi locus. XXXImum  
 ejusdem cum priori apud Pontificios existimationis est. Pre-  
 re-

relicquis illua ex multitudine Patrum, quorum circiter 1000.  
ex Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. Præside Papa In-  
nocentio II. ibidem fuere praesentes, ab istius ævi scriptoribus  
celebratur. Lateranense illud fuisse a nemine negatum legi-  
mus. Sed de XXXIIdo jam eadem cum Rappono & Ciampi-  
no controversia oritur, quam superiori spho, de conciliis à Pa-  
schale II. in Laterano celebratis, agitavimus. Quod hæc ea-  
dem lis ex eodem fonte decidi queat, nulli dubitamus. Ita e-  
näm Alexander III. hujus concilii præses non aliter erga Im-  
peratorem Fridericum I. Barbarosam se gessit, atque supra Pa-  
schalis II. erga Henricum V. Eratque idem hujus concilii sco-  
pus, nempe assertio tyrannidis Papalis contra jura Cæsarea; e-  
ratque & idem exitus, nempe Imperatoris à Papa predicto in  
hoc Concilio facta excommunicatio: quidni & eandem silen-  
tii scriptorum prædictorum hic allegare causam liceat? De  
XXXIIIto ab eodem Papa Alexandro III. a. 1179. coacto mi-  
nor inter scriptores nostros lis est; omnibus Laterano illud af-  
ferentibus, & Pontificiis illud pro Universali Lateranensi IIIto  
vendantibus. NATAL. ALEXANDER de eodem, sicuti &  
priori de a. 1222. peculiariter dissertatione egit Sec. XII. Dissert. IX.  
ubi de hujus concilii indictione, tempore, loco, præside, nume-  
ro episcoporum, causa & canonum summa, curatius disquirit.

## §. XV.

Restarit ex Lateranensibus Conciliis superioribus seculis  
celebratis tria: XXXIV. XXXV. & XXXVI tum nempe, ex or-  
dine nostro. Prius illud de a. 1215. sub Innocentio III. una-  
nimi scriptorum consensu in Lateranensium numero est pos-  
tum, nec habemus nos, quod in tanta historiarum luce licet ad-  
dere debeamus, disputatione de hujus aliorumque auctoritate  
universali in sequente tractationem rejecta. Alterum vero  
quod a. 1302. Bonifacium VIII. cogisse a nobis perhibitum  
est,

C 3

est, *Cave P. II. p. 58. Sagittarius p. 1360. & Fabric. ad h. a.* Romanis accensent; Rasponi igitur fide nixi, in catalogum nostrum illud retulimus; hoc satis persuasi, quod ex Laterani domesticis archivis eidem de loci hujus notatione determinata certius constiterit. Postremum est, quod in vicem Pisani a Papa Julio II. a. 1511, ut circa festum Paschatos 1512. celebratur, indicatum, ad patrum usque nostrorum memoriam, donec Papa noster hodiernus surrexit, Lateranensem Conciliorum ultimum fuit. Cum de ejus occasione, loco, modo, continuatione, successu, exitu, & quae circumstant reliquis, in vulgus notum sit, nihilque novi concordibus tot istius ævi scriptorum suffragiis ex historia a nobis addi queat, de auctore ejus atque Praefide, Papa nempe JULIO II. occasione hic ita ferente, contra vulgatam ævi recentioris traditionem historiam, ex vita sua memorabilibus aliquid observare atque monere liceat. Evidem Viri hujus ab infimo sortis genere ad summum Papalis dignitatis culmen evesti ingenium turbulentum & tractandis Martiis negotiis, quam mansuetoribus Christi ovibus pascendis aptius natum, testantur, qui illud tempus ex coævis auctoribus scriptis suis illustrarunt. Neque nos vel cordatior quilibet ferociorem hanc hominis indolem in dubium vocare temere sustinuerit. Ex rebus autem ab ipso gestis, notabile illud factum, nobis hæsitandi aliquando ansam ingessit, quando Papa iste Julius, bello cum Gallorum Rege Ludovico XII. a. 1510. exorto, cum exercitu Roma egressus, Petri claves furibundus in Tiberim projecisse perhibetur, additis his verbis: *Quia claves S. Petri amplius nil juvant, valeat gladius S. Pauli;* quæ dicens gladium simul evaginarit. Fatemur in dicto factove hoc, quod heroicum præ se ferre vult videri spiritum, primum a nobis desideratum esse illud, quod in clavium ensisque permutatione hoc ipsum alienum satis nobis visum

sum sit, quare non Petri ipsius gladium, qui ex historia sacra notior est, Papa jam miles arripuerit; interim ad penitorem rei investigationem, quibus potissimum testibus factum hujusmodi memorabile niteretur, facile alliciebamur. Sed tacentibus coævis auctoribus gravioribus, res statim ad Poëtas redit, provocantibus scriptoribus recentioribus fere omnibus ad Galli cujusdam, qui circa illud tempus vixit, Gilberti DUCHERII elegos, sat quidem elegantes:

In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum  
Armatum educit Julius urbē manum.

Accinctus gladio, claves in Tibridis amne

Projicit, & sævus talia verba facit:

Cum Petri nihil efficiant ad pralia claves,

Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Infirmius tamen hoc nobis testimonium usque semper fuit habitum, ut tantæ rei gestæ fides in constanti testium aliorum silentio eidem tuto satis possit inniti. Quare, cum postmodum insignis ævi paulo superioris Critico-Historici, Pet. BÆLIUS *Dictionar. Hist. Critic.* evolvimus, ipsumque sub tit. *Jules II.* (Not. F.) easdem nobiscum cogitationes volutasse secum deprehenderemus, non dubitavimus amplius, vulgationem traditionem hanc liberioris poëticæ fictionis instar habere, de qua apposutum illud Papyri MASSONI dicterium I. c. profert BÆLIUS: *Poëta modo aliquid argute vel acute dicere videantur, plerumque verumne sit an falsum, propemodum non curant.* Hæc de Julio II. occasione Concilii a se celebrati Lateranensis.

Tandem XXXVIIimum Lateranense Concilium novissimum illud est, quod novo rei exemplo superiori anno 1725. Benedictus XIII. Papa celebravit. Rem in recenti omnium nostrorum memoria versantem prolixius iam nunc recoquere, su-

supervacaneum ducimus. Paucis hæc teneantur: Papam labente anno 1724. die np. 24 Dec. Episcopis in speciali sua provincia constitutis, videlicet inter Capuanam provinciam & Pisanam; nec non Archiepiscopis suffraganeis carentibus & tam Episcopis, sanctæ sedi immediate subjectis, quam Abbatibus nullius Diœceseos indixisse, ut ad concilium habendum in urbem Romanam ad diem Dominicam in Albis (quæ est Ima post festum Paschatos, alias Quasimodogeniti dicta, vid. b. Jo. Andri. SCHMIDIUS in *Hist. Festorum & Dominicarum* p. 129.) proximi anni 1725. convenient. Promulgato vero deinde editio alio d. 24 Mart. 1725. concilium illud in Octiduum post dictam Dom. in albis, diem np. 15 April. prorogasse, hoc tamen cum addito, ut in Patriarchali Lateranensi Ecclesia concilium ipsum celebrandum indicaret, quod in editio priori non fuerat determinatum. Sic tandem congregatis quotquot interesse poterant atque debebant, diebus 15, 22, 29 Aprilis & 6, 13, 22, 27 & 29 Maii VIII. Sessionibus totum Concilium fuisse absolutum. Hæc brevis succinctaque Concilii sic peracti delineatio. Secuta est postmodum solennis Concilii promulgatio, quam Papa ipse literis d. 25 Octobr. publicatis indulxit. Constat autem Decretis in universum CIV. sub duobus & triginta Titulis, Decretalium more dispositis. Quibus subjiciuntur subscriptiones, qua post Papam Cardinales XXXII. Archiepiscopi V. Episcopi XXXIX. Abbates III. Absentium Episcoporum & Abbatum Procuratores XXXV. denique Secretarii II. manus sua concilium hoc obsignarunt. Post hæc, indicatis concilii administris, tandem claudunt agmen appendices prolixiores, quæ majorem operis typis exscripti partem conficiunt; comparentque autem in his Sanctiones atque Constitutiones XXX. quas Papa ab Antecessoribus suis conditas vel denuo confirmavit, vel ipse recentis edidit promulgavitque. Hoc ordine à nobis recensito typis

typis mandatum CONCILIO ROMANUM in Sacrosancta  
basilica Lateranensi anno universalis jubilai MDCCXXV a BENE-  
DICTO XIII. &c. celebratum, primum in publicum prodiit  
Rom. 1725. sumptibus Francisci Giannini, Palatii Apostolici  
Bibliopolæ, munitum Papali privilegio ad decennium, ne ab  
alii vel in urbe Roma vel locis aliis Status Ecclesiastici impri-  
matur denuo vendaturque, ut habent verba privilegii d. 31.  
Jul. 1725. dati. Hanc ut in Novis literariis relatum est, exce-  
pit editio quædam Venet. eodem adhuc anno in fol. recusa. De-  
nique & hoc anno 1726. ad exemplar editionis Romanæ idem  
concilium in Germania bis recusum esse novimus; tum enim  
Colon. in 4to illud prodiisse ex vernalium nundinarum cata-  
logo constat: tum etiam Monachii curata est editio, ut titulus  
præfert, prima in Germania. Et hæc quidem illa est, qua nos  
utimur, quæque in forma chartæ quadripertita majori, Alpha-  
betho uno integro & 17. circiter constat plagulis. Hæc de con-  
ciliis novissimi Lateranensis historica & literaria notitia suffi-  
cient. De eventibus, rerumque in hac Synodo agitatarum ar-  
gumentis commodior infra dicendi locus dabitur.

## SECTIO II. PRAGMATICA.

§. I.

In limine tractationis nostræ statim monuimus, occurtere  
circa argumentum hoc quæstiones haut exigui momenti,  
ex pragmatica historiæ præmissæ consideratione deciden-  
das. Ita enim cum rerum quarundam gestarum relatio-  
ne comparatum est, ut, licet a multis jam retro seculis per-  
petratæ sint, ex penitiori tamen earundem notitia ad statum  
usque hodiernum usus redundet amplissimus, isque curatus  
indagandus. Igitur quicquid in rem nostram vertere liceat,  
hoc etiam loco dispiciemus.

D

§. II.

§. II. J. M. 19

Primum autem hic haut abs re disquirendum venit: *Quo loco jactata Constantini M. Ecclesie Lateranensis vel extructio vel donatio habenda sit?* Evidem Iliadem hic post Homerum scribere videremur, si debellatam satis de Donatione Constantini M. controversiam iterum ab oyo ordiri vellemus. Fiditio enim isti Diplomati, quod tum in *Jure Canon.* P. I. Displ. XCVI. c. *Constantinus*, tum in *Concil. edit. Reg.* Tom. II. & Labbej. Tom. I. ad a. 320. alibique passim excusum prostat, larva non modo a nostratis detracta est, sed & post Laurentium VAL. LAM, Lateranensis hujus aëdis ante hos trecentos annos Canonicum, quem primum hanc Sylvestro I. Papæ factam donationem dubiam reddidisse meminimus, Pontificiis ipsis plurimis, iisque præcipua dignitatis & auctoritatis, AENEÆ SYLVIO, post Papæ PIO II. in *Dialog. de Donat. Conf. M. Raph.* VOLATERANO Antropol. Lib. 23. Nic. CUSANO Cardinal. de Concordant. Cathol. Lib. III. c. 2. Cæſ. BARONIO in *Annal.* ad a. 324. Sect. 118. sqq. Franc. GUICCIARDINO Hist. Lib. IV. p. 156. Pet. de MARCA de *Conc. Sac. & Imp. NAT.* ALEXANDRO Hist. Eccl. Sec. IV. Displ. 25. Seb. Nan. TILLEMONTIO, Hist. Tom. IV. p. 226. Ant. PAGI in *Critica ad Annal. Baron.* ad a. 324. n. XVI. Lud. El. du PIN. in *Bibliotheca Auth. Eccles.* Sec. III. p. 59. & quibus non? sublestæ fidei esse caput. Vid. horum omnium loca verbaque recitata ap. Rob. COCUM in *Censura Script.* p. m. 170. sqq. Andr. RIVETUM in *Critico S.* Lib. III. Cap. 3. p. 257. sqq. Matth. FLACIUM in *Catalog. Test.* Ver. p. 7. edit. de 1672. CAVE in *Hist. Lit. Script. Eccles.* P. II. p. 99. sqq. J. F. BUDDEUM loc. sepe cit. p. 10. sqq. Denique J. A. FABRICIUM in *Bibliotheca Grac.* Vol. VI. p. 4. sqq. & Vol. XI. p. 352. sq. Quin & hanc genuinam esse causam existimamus, quare Jo. HARDUINUS, in *novissima Conciliorum editio-*

tione sua, hujus donationis tabulas plane omiserit, licet aliam obtenderit, nimirum, quod ab *operis sui titulo & instituto prorsus aliena sit.* teste FABRICIO I. c. p. 353.

## §. III.

Sic igitur quamvis res facile confecta videatur, non defunt sibi tamen Pontificii, ut tam egregium peculum ex alio capite afferant, aliisque argumentis opimam Urbis & Status ecclesiastici prædam sibi vindicent. Per omnia hæc lis, quæ prolixior est, non tangit nos. De Lateranensis Ecclesiæ donatio-ne vel extrictione nobis duntaxat sermo est, quam cum ex ementito illo Constantinæ donationis diplomate afferere itidem non ausus esset CIAMPINUS, scriptor in hac causa recentior, ad alia sibi potius præsidia configiendum esse duxit. Is enim non modo opus jam sèpius citatum de *Sacris Aedificiis a Constantino M. constructis*, sed & *Vetera monumenta misiva &c.* præterea II. Tom. Rom. in fol. abs se edita, fidei superin-struxit ANASTASIUS Bibliothecarii, qui exente Sec. IX. vixit; cuius tamen cum *Liber Pontificalis*, s. de *Vitis Rom. Pontif. Historia*, quod ambiguæ non minus fidei nasutionibus futurus sit, ab alio quoquam esset præmonitus, jam anno 1688. idem CIAMPINUS *Examen libri Pontificalis &c.* Rom. in 4to præmisserat, omnimodam, si posset, Anastasio suo auctoritatem conciliaturus. Quomodo vero jam illud præstiterit Ciampinus, nobis hic quidem exquirere datum esset, nisi & hunc laborem anteyertisset diligenterissimus quondam W. E. TENZELIUS in *Dialog. mensfr. 1695.* mensl. Febr. p. 139. sqq. ex quibus tantum in rem modo nostram observamus, Vitam Papæ Sylvestri I. quæ in primis ad causam nostram in censum venit, ex omnibus reliquis, quæ in jejuna illa *Anastasi compilatione* occurunt, ipso fatente Ciampino, Sect. III. l. c. minoris precii, ob multa inconcinne barbareque dicta, quod scriptorem ejus ab ævo Sylvestri remotiorem arguat, esse habendam. Allato autem

D. 2.

hoc

hoc satis gravi causæ suæ præjudicio, non dubitavit tamen *Ciampinus*, quin ruinoso adeo fundamento totam commentationis suæ de Sacris ædificiis a Constantino M. extrectis molem superimponeret. Ad specialiora omnia hic etiam descendere non vacat, cum idem laudatus *TENZELIUS* in *Dialog. e. a.* p. 95. sqq. ubi curatiorem quoque posterioris adducti libri recensum init, nihil sine justa censura atque animadversione dimiserit. Unicum hoc saltē nobis coronidis loco advertisse liceat, perperam causæ suæ Ciampinum consuluisse, quod decentatam illam, de Constantino M. a lepro per *Sylvestrum* in S. baptismatis fonte purgato & hinc erecto, multisque donariis in Lateranensi basilica aucto baptisterio, fabulam ex Anastasio suo mordicus adeo asserere, huic rei gestæ imaginem zere celatam exhibere conatus sit; quo quidem facile & toties explosio figmento totum ædificium eadem ruina simul corruit. Non possumus, quin egregium aliquod antiquitatis monumentum ex *SYNODICO VETERI*, quod b. Jo. *PAPPUS* Argent. 1601. primus edidit, novissime autem Cel. *FABRICIUS* *Bibliorh. Grac.* Vol. XI. p. 185. sqq. inferi denuo curavit, h. l. ad vocemus, cum haec & sequens nostra tractatio hoc ipso insinuauerit prorsus illustretur, nobisque etiam non constet an quisquam hoc argumento in hac causa adhuc usus sit. Describitur autem in laudato isto *Synodico Veteri* sub n. XXIX. Concilium A. 313. Romæ in Laterano celebratum sequenti modo: adorantur *synodus* *divina* & *sacra* *procuratōrēs* *sc̄a* *in* *Rōmā*, *υπό* *vincialis*, collecta Romæ à *Mamilia* *ad* *τέ* *σύνωτάτη* *πάπα*, *tiade* *sanc̄tissimo* *Papa*, & *Marco* *καὶ* *Μάρκῳ* *τῷ* *συντάτῃ*, *καὶ* *sanc̄tissimo*, & *Ceciliano* *Carthaginensis*, *επ̄* *τῇ* *ένωσει* *τῶν* *επ̄τομῶν*. *ταῦτη* *Ιονίου*, *καὶ* *τὴν* *εἰς* *A-* *scoporum*. *Hanc* *igitur*, *ut* & *A-* *gelάτῳ*, *προσάργεις* *συγκροθῆ-* *relatensem*, *Constantinus Ma-* *gnus*

τοι ο μέγας βασιλεὺς κανταρ-  
γνus Imperator colligi præcepit,  
τίνος, απάρας ἀπὸ τῆς ἑσπερίαν cum ab Occidentalibus ad Orien-  
τις τὰ ἔων χωρία, ἀμετασφε- talia loca, nunquam reversurus  
τὶ ἀπασι: μη τεθεακὼς Σίλ- discessisset, non viso Sylvestro  
βεστρον ἐπισκοπον ἐν τῷ Θρόνῳ Episcopo in throno Romæ: Sub  
Ρώμῃ, ἀλλ᾽ ἐπὶ Μιλτιάδες ἀνο- Miltiade enim recessit: unde ve-  
χωρίσας: ὃ θεν ἀλυθέερον ἐστι: riens est, ut teneamus, non bapti-  
τον ἐν Ρώμῃ, ἀλλ᾽ ἐν Νικομη- zatum ipsum esse Romæ, sed Ni-  
δεῖο.

Si ex insigni hoc testimonio, quod *ab auctore valde pio, quis-*  
*quis etiam fuerit, profectum, qui hoc Syndicon temporibus Photii*  
*Seculo IX. accuratissime confecit, teste Leon. ALLATIO, Au-*  
*stori Pontificio, de Consensu Eccl. Orient. & Occid. p. 388. & 455.*  
argumento iterum negativo concludere luberet, omnem istam  
telam, quam ex Anastasio suo tam operose Ciampinus conte-  
xuit, eadem veritatis specie destruere in proclivi esset. Sed  
illud tantum elicimus, quod prono ex eodem fluit amne; ubi  
tum assertis verbis edocemur, quod Synodus illa iussu Con-  
stantini M. convocata sit, quod quidem testimonium in rem  
modo nostrum utiliter vertemus; tum etiam Constantini di-  
cessus ex Italia, occidentali orbis plaga, circa a. 313. extra  
omnem dubitationis aleam ponitur; cum quo consentiente  
reliquo istius ævi historicorum choro, quod de Constantini  
baptismo Romæ a Sylvestro collato, factisque eam in rem do-  
nariis quibuslibet, imperitoribus libenter vellent persuadere  
Pontificii, tenues evanescit in auras.

## §. IV.

Ut igitur haec tenus dictis finem tandem imponamus, sicuti  
prætensem quondam Patrimonii sic dicti Petrini, a Constan-  
tino M. factam, donationem dudum pro derelicta habere cœ-  
perunt Pontificii cordatiiores, ejusque confitio haut injuria

D 3

Johanni

Johanni cuidam Diacono Sec. IX. Anastasii avo coequali, adscribitur a Frid. SPANHEMIO F. in *Hist. Christian.* p. 1416. Tom. I. Opp. ita nec dubitamus, quicquid de Lateranensis basilicae aliorumque in Urbe Roma ædificiorum sacrorum abs Constantino M. facta vel donatione vel extractione cum *Cianpino* recentiores nonnulli contendere voluerunt, dubiis istis vel omnino confitis æquiparare originibus. Res namque omnis ad eundem fabulæ auctorem reddit ANASTASIU: Primus equidem Constantinus M. discessu suo, & translatione sedis Imperatoriaæ Byzantium, Episcopis Romanis occasionem atque copiam fecerat, ut ad sublimius quoddam dignitatis fastigium adspirarent. Quam quidem in rebus seculi arrogatam potentiam, cum ex politicis, quæ in promptu sunt, rationibus Carolus M. Imperator Occidentis stabilivisset, resque multis nova & invidiæ plena haberetur, tum quidem temporis e re esse videbatur, ad pridem factas hujusmodi non modo integri territorii, sed & peculiarium quorundam munusculorum donationes confugere, quibus res nova antiquis quodammodo coloribus obduceatur. Quam quidem genuinam Papatus originem & subsecuta incrementa recentiori aeo graphicè satis depinxit Sam. PUFENDORFF. in *Introduct. ad Hist. P. I.* Cap. ult. & post eum Theod. GIBELLINUS (Matthæus Goebelius) in *Cæsaropapia Romana.* Christ. THOMASIUS de *Monarchia Papali*, aliisque.

## §. V.

IIdo loco, circa argumentum nostrum inquirendum nobis venit: *An Concilia, vel Lateranensia vel quæcunque alia, convocandi jus sit penes solum Papam Romanum?* Ob temporis, chartæque huic scriptio[n]i destinatae angustiam non licet nobis esse prolixioribus, ut executiamus omnia, quæ in hanc causam a diversæ partis Patronis in utramque disputata sunt, quorum amplissimum alioquin syllabum iterum suppeditaret Cel.

FA-

FABRICIUS in *Bibliothec. Græc.* Vol. XI. p. 105. sqq. Historiæ igitur nostræ finibus circumscripti, sequentia tantum monimus: Primo, quod Papa s. Episcopus Romanus Melchiades Concilium illud Lateranum, ex ordine nostro Imum, a. 313. non propria auctoritate, sed jussu duntaxat Constantini Imp. convocaverit, ex claris Synodici Vet. supra producti verbis sati constare potest; quod ut idem Imperator in aliis preterea suo tempore celebratis probe servavit, ita tamen in Universali Niceno Concilio a. 325. illustriores hujus sui juris radios adhuc sparsit, dum non modo illud convocavit, sed & Presidis in illo vices summa auctoritate obiit, teste EUSEBIO in *Vita Constant.* M. Lib. III. Cap. 6. sqq. GELASIO CYZIC. in *Aet. Conc. Nic.* passim. Quod cum Pontificii ipsi negare haut sustineant, hoc auctoritati Papali prejudicium nullum afferre contendere voluerunt NATAL. ALEXAND. in *Hist. Eccl. Sec.* IV. Diff. XI. & Ant. PAGI in *Critic. Tom. I.* p. 405. sq. quos tamen eum Jo. LAUNOJO in *Epist. ad Habert. Mommor.* P. VI. & Edm. RICHERIO in *Hist. Concil.* Tom. I. Cap. II, civibus suis, idem admittentibus, compendii causa committimus. Imo ex hoc capite Constantinum M. ejusque successores per longum adhuc temporis intervallum juxta cum Imperatoria dignitate & Pontificis Maximi titulum vicesque sibi vindicasse, non dubitamus afferre, postquam contra negantem hoc JAC. GOTHOFRIDUM, in pseudonyma Jo. Pacidii ad Rivetum epistola, totam hanc rem in clariori luce collocavit b. Jo. Audr. BOSIUS in *Dissert. de Pontificatu maximo Imperatorum Christianorum.* Jen. 1656. in 4to. & in *Thesauro Antiquitat. Rom.* Jo. Georg. GRÆVII Tom. V. denuo recus. conf. Jo. Alb. FABRICIUS in *Bibliograph. Antiquar.* Cap. XIII. §. 2. p. m. 444. sq. add. Cl. BUDDEUM Jun. de *Suprem. Potest. princip. in Eccl. Cil. XI.* p. 125. sqq. Probavitque idem & paulo ant. Cel. quondam Conr. Sam.

SCHURTZ-

SCHURTZFLEISCH. ex Inscriptione antiqua, in Dissert. de pri-  
mi Christianorum Imperatoris antiquitatibus §. XIV. (\*) A Con-  
stantino paucis ad successores ejus nonnullos progredimur, vi-  
suri quasnam illi in conciliorum convocatione partes sibi af-  
seruerint? Missos statim facimus Imperatores Orientis, Reges-  
que ac Principes alios potestate hac suprema nonnunquam usos;  
nec etiam, quas extra Romanam urbem authoritate caesarea,  
Romano-Germanorum Augusti, CAROLI, OTTONES, HEN-  
RICI, SIGISMUNDI &c. coegerunt Synodos, pluribus morabi-  
mur, utpote quorum tanta se nobis multitudo offert, ut nu-  
merum illarum vix inire liceat. Illud saltem dispiciemus, num  
hujusmodi juris quid in ipsa urbe Roma vel basilica Latera-  
nensi ab Augustis nostris sit exercitum? Et hujus etiam vesti-  
gia nos statim in concilio, Romæ a. 800. habito, deprehendisse  
nobis videmur! Evidenter tum Papa LEO III. scriptam sibi va-  
riorum criminum dicam a se amolitus, tanquam pars con-  
cilia, Praefidis vel Directoris munia obire nequibat, sed istis  
partibus tum per Vicarios, tum postea ipsum praesentem Ca-  
rolum M. perfundit esse, ex Concilii actis haut obscure col-  
ligitur. conf. præterea ANASTASIUS in Vita Leon. III. p. 183.  
EGINHARD. in Vita Carol. M. Cap. XXVIII. SIGEBERT. Gem-  
blac. ad a. 800. & in primis ANNAL. LAMBECIAN. ad a. 800.  
n. XXXIII. Tom. II. Bibliothec. Vindob. p. 381. Porro OTTO I.  
cognomine itidem MAGNUS, idem jus concilium Romæ a.  
963. convocandi & ibidem in Basilica S. Petri praesidendi sibi  
vindicasse perhibetur in ANNAL. HILDESHEIMENS, ad a. 963.  
apud Leibnit. T. I. Script. Brunsv. p. 718. add. RHEGINON. &  
LUITPRANDI continuat. ad h. a. Quid quod idem Imperator  
in sequentibus etiam nonnullis, circa idem tempus Romæ ce-  
lebratis, conciliis praesens, hujusmodi sibi partes afferuerit, ex  
Actis istorum Concil. liquet. Denique HENRICUM IV. Im-  
pera-

peratorem, turbatae quidem reipublice exemplum, vid. Georg. SCHUBARTI Diff. pecul. Jen. 1680. in scenam producimus, qui inter medias Papæ Romani tribulationes convocandi tamē Concilium, idque Romæ in ipso Laterano ad a. 1102. celebrandum, animum sibi sumvit; quamvis deinde ipse, Papæ insidiis atque persecutionibus se inferiorem fore præsentiens, haut comparuerit, testante hoc auctore fide digno & gravissimo CONRADO a Lichtenau, Abbeate Urspergens, in Chronic. ad a. 1102. Mittimus reliqua, si forte & in sequioribus temporibus reperiantur hujus rei documenta: ex hac exemplorum illustri triade nos satis commonstrasse existimantes, quod jus, Concilia tum Romæ tum in ipso Laterano convocabandi, penes Romanæ sedis Præfusulos solos non semper extiterit.

(\*) Aut omnino fallimur, aut Pontificatum hunc maximum iterum in animo habuit gloriissimus quondam Imperator, MAXIMILIANUS I. Hic enim, quod dignitatem Papalem, Julio II. 1511. graviter decumbente, reapse ambierit, ut Papa dein restituto, ipsius tamen coadjutor fieri serio concupierit, nos dubitare non sinunt literæ manu ipsius propria ad Paulum Lichtensteinum & filiam Margaretham exarata, quarum exempla leguntur tum alibi tum in Epist. Lud. XII. Gall. Regis, gallice Bruxell. 1712. IV. Vol. in 8vo edit, vid. Tom. III. p. 324. & Tom. IV. p. 2. injicisque præterea hujus rei mentionem gravis scriptor, Jo. MARIANA. Rer. Hispan. Lib. XXX. C. 5. conf. huc Pet. BAYLE Response aux questions d'un Provincial Tom. II. C. 124. Jo. MASSON. Hist. Critiq. de la Republ. des Lettr. Tom. IV. p. 327. sqq. itemque Cel. Ern. Sal. CYPRIANI Diff. pecul. de Maximiliano I. Pontificatum maximum affectante. Coburg. 1710. Quando vero idem BÆLIUS in Lexic. Hist. Critico Tom. I. p. m. 918. (not. Y) de CAROLO V. Imp. etiam affirmare videtur, quod & ipse Papatum affectarit, imo eundem

eundem domui Austriae hereditarium reddere voluerit, minus nobis certum atque exploratum habetur, cum rante rei nulla vestigia deprehendantur apud auctores istius aevi, qui alicujus existimationis sunt, totaque nitarur relatio fide Pet. de Bourdeille, sub nomine Abbatis de BRANTOMB noti, scriptoris sequioris & iniquioris etiam paribus Austriae, conf. de ejusd. memoris Illust. Jo. Burch. MENCKE de Comment. Hist. n. VI. p. 13.

## §. VI.

Devolvimus ad tertiam haut minoris momenti quæstionem, hoc etiam commode loco examinandam: *An Concilia quadam Lateranensis, àq[ue] cum aliis nonnullis, pro Universaliis s. Oecumenicis sint habenda?* Evidem de justis Conciliorum generalium s. Oecumenicorum criteriis & requisitis constitutis disputationem Theologis decidendam relinquimus; contra historico duntaxat filio inhærentes, quid vulgo ex diversæ religionis addictorum placitis statuatur, commemoratur. Sic autem primo IV. dantur Concilia, quæ Ecclesia tam Orientalis, tum Occidentalis eaque & Romano Pontificia & Protestantum Lutherano Evangelica consensu unani agnoscit oecumenica: I.) NICÆNUM, II.) CONSTANTINOPOLITANUM Iium. III.) EPHESINUM. IV.) CHALCEDONENSE. Dantur porro IV. quæ Universalia suscipit Ecclesia Christianorum Orientalis: I.) CONSTANTINOPOLITANUM IIdum II.) TRULLANUM. III.) NICÆNUM IIdum. IV.) CONSTANTINOPOLITANUM IIIIum. Posthac Ecclesia Occidentalis Pontificia XII. insuper Concilia Oecumenicorum titulo mactat. I.) LATERANENSE Ium. a. 1122. II.) LATERANENSE IIdum. a. 1139. III.) LATERANENSE IIIIum. a. 1179. IV.) LATERANENSE IVIum. a. 1215. V.) LUGDUNENSE Ium. a. 1245. VI.) LUGDUNENSE IIdum. a. 1274. VII.)

VII.) VIENNENSE. a. 1311. VIII.) CONSTANTIENSE. a. 1414.  
IX.) BASILEENSE. a. 1431. X.) FLORENTINUM. a. 1439.  
XI.) LATERANENSE Vtum. a. 1512. XII.) TRIDENTINUM.  
a. 1545. sqq. Hujusmodi Universalium Conciliorum indicem  
confecit quoque Cel. FABRICIUS, in laudato saepe Bibliothe.  
Grac. Vol. XIImo p. 112. sq. qui & ibidem observavit, Laurent.  
BRANCATUM, dictum Cardinalem de Laurea, in sua *Canonum Epitome* inter Concilia generalia omittere BASILEENSE  
illud; quod etiam faciat cum CONSTANTIENSI Rob. BEL.  
LARMINUS Lib. I. de Concil. Cap. 5. Denique & ab Ecclesia  
Gallicana nec FLORENTINUM, nec LATERANENSE Vtum  
pro Universalibus haberi, notat e Jo. LAUNOJO P. VIII. E.  
pist. XI. p. 736. sqq. Sicut ergo inter ipsos Pontificios de cer-  
to Universalium Conciliorum suorum numero non adeo con-  
venit; ita nec nobis id vitio vertent, quod in suscipiendis Conci-  
liorum sibi peculiariū decretis nos difficiliores adeo offendant.  
Est hoc coetui cuilibet relinquendum, qua ille ad SS. normam  
confecta fidei morumque formula velit adstringi. Nec nostre fi-  
dei symbola Pontificiis obtrudimus; egregieq; quondam b. AU-  
GUSTINUM, Hippon. Praesulem, *contra Maximinum Arianum*  
Lib. III. C. XIV. th. 6. pronunciasse arbitramur: Sed nunc ego nec  
Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam prejudicaturus  
preferre Concilium. Nec ego illius auctoritate, nec tu illius deti-  
neris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed  
utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ra-  
tio cum ratione concertent. &c. Quibus in suis partibus muta-  
tis verbis, de hoc nostrates inter & Pontificios disensu, forte  
haut incongrue uti licebit.

## §. VII.

Erat jam quarto hoc loco animus, qua vel commoda vel  
incommoda rei Christianae ex Lateranensis conciliis usque semper

E 2

acces-

accesserint? paulo uberior excutere; quanquam enim Cel. BUDDEUS in sc̄ope cit. commentarye hoc sibi argumentum peculiare fecerit, ut de Conciliis Lateranensisibus rei Christianae noxiis præciperet; non tamen illud ipsum adeo quoque exhaustum est, ut aliqua etiam seges nobis haut relicta sit. Ita enim peculiaria Ecclesiae Romanensis dogmata, v. c. de confessione auriculari, de Transubstantione & qua non? in Lateranensisibus subinde Conciliis vel exclusa vel etiam stabilita offendimus. De quibus tamen cum dicendi materia sit prolixior, restetque præterea insignis adhuc pragmaticarum observationum farrago, de pomparum nempe atque ceremoniarium solemnibus, in Lateranensi templo vel olim vel etiam obiri solitis, de aliis huic affinibus, Comitiya, puta, Lateranensis palatii, ordine equitum S. Johannis Laterani, aliisque ex hujus rei originibus facile derivandis. Harum rerum omnium cumulum, cum jam plagularum huic disquisitioni destinatarum spaciū expletum sit, peculiari & iteranda de hoc argumento commentarye servare volumus, huic, siquidem ad palatum fuerit, aliquando jungendam.

## §. VIII.

Ad ultimum exquirere haut forte ingratum foret: *Quid bona frugis in rem Christianam, a Papa hodierno Benedicto XIII. celebratoque ab eodem Concilio Lateranensi novissimo, expectandum sit?* Sed & hanc questionem impeditiorem cernimus, ut ad illum rotunde satis responderi queat. Estque præterea ex eorum numero, quæ a futuris adhuc & fortuitis nonnunquam casibus pendent, quarum velle determinare eventus, periculosa plenum opus aleat est. Illud saltem pronunciare non dubitamus; haut facile fore sperandum, internam Papatus faciem vel nunc vel posthac iri mutatum; Papam quoqua modernum, ceteroquin forte bonum Virum, rebus tamen maximis innovandis impa-

Cel.  
atum  
ianæ  
e ex-  
Ita  
con-  
ate-  
a of-  
rolis-  
oser-  
aria-  
iam-  
La-  
que  
muni-  
est-  
car-  
n ad  
Duid  
XIII.  
dum  
il-  
rum  
ibus  
ple-  
nus;  
unc  
ete-  
ndis  
pa-

imparem haut injuria judicamus. Characterem enim ejus, col-  
latis iis, quæ in dies circumferuntur, relationibus, haut infeli-  
citer nobis expressissime videtur Diarii Historici AuctoR, quod Gal-  
lice sub tit. *Lettres Historiques* singulis mensibus Amstelodam.  
prodit, cujus verbis ex mens. Nov. 1725. p. 479 - 481. eundem  
hic coronidis loco subjicimus:

„Le Pape d'aujourd'hui est une ample matière à retrac-  
tion. Les Historiens sincères, tels que je fais profession d'e-  
tre, sont obligés, d'en faire de tems en tems à son sujet. En  
voici une que vous jugerez nécessaire. Je vous ai dit, que le  
St. Pere avoit repris la vie de Cardinal, & que Msr. COSCIA,  
sa creature, vivoit en Pape. Cela ne'est pas exactement vrai.  
Ils vivent en Papes tous les Deux ; mais ils en ont partagé  
les fonctions. On a fait deux lots de la Papauté : le Cardinal  
comme Cadet a choisi la sienne, & ils lui est échu *regere &*  
*conservare*. Le voila donc qui dirige. Il est vrai, qu'au lieu  
de conserver, il détruit ; mais un peu de patience. Il fait  
déjà la moitié de sa charge. C'est beaucoup ; il y a bien des  
gens, qui ne font pas le quart de la leur.

„Le lot du Pape est *benedicere & predicare*. C'est à dire,  
qu'on lui donne tout liberté de dire son Breviaire ; de re-  
pandre à grands flots d'ontueuse bénédiction ; d'aller man-  
ger au refectoire des Dominicains en habit de simple Reli-  
gieux : on lui abandonne gracieusement plusieurs autres me-  
nus Privileges, qui l'amusent ; mais lors qu'il est question  
de doctrine, ces têtes humblement courbées sous le bras, qui  
les benit, se redressent avec une indocilité peu respectueuse,  
& se tourne vers le Cardinal *Coscia*, a qui seul il convient de  
diriger & de conserver l'usage, ou est la cour de Rome de  
couvrir les fautes d'un Pape par d'autres fautes.

„Cette particularité servira peut être un jour, lors qu'il  
fera

„sera question de canoniser Benoit XIII. si ses adversaires lui reprochent, d' avoir fletri la doctrine de S. Augustin, & de St. Thomas, en confirmant un Bulle, qui en enseignoit une toute contraire, d' avoir excité en divers Ordres une persécution contre de saints Religieux, que l' on a reduits à renier leur foi , ou à l' enfuir de leurs Cloitres comme des proscriptis; d' avoir laissé triompher dans un Concile tenu a Rome, me en sa présence une doctrine reprobée par l' ancienne Eglise, & quantité d' autres abus de l' autorité Pontificiale: les Apologistes de ce Pape n' auront qu' à repliquer, que tout cela n' est point de lui; que ne lui appartenloit que de benir, & de prêcher la pieté par des moeurs exemplaires ; que d' autres dirigeoint, envoyoient des Brefs, decidoient les points de doctrine &c. Et que c' est à eux, qu' il en faut demander compte. Vous voiez , combien cela lest justificatif.“

Hucusque Gallus, & Tantum nos hac vice de Conciliis Lateranensibus.



**ULB Halle**  
004 367 324

3





H. iur. 2. num. 14

1726, 1

14

*EX HISTORIA ECCLESIASTICA  
DE  
CONCILIIS LA-  
TERANENSIBUS*  
IN HOLATORUM INCLYTA ACADEMIA  
EX  
*CONSTITUTIONE FRIDERICIANA*  
PRAESIDE  
**PHILIP. FRID. HANE,**  
PHILOS. DOCT. HIST. ECCLES. ET PROFAN.  
PROF. PUBL. ORD. ATQUE ORDINIS SUI  
P. t. DECANI  
PUBLICE DISSERET  
RESPONDENS  
**JOH. HENR. TWIETMEYER,**  
ROSTOCH.  
PHIL. ET THEOL. STUD.  
ANNO MDCCXXVI. AD DIEM VI. AUGUST.  
H. L. Q. C.

KILIAE,  
LITTERIS JOHANNIS CHRISTOPHORI REUTHERI,  
ACAD. TYPOGR.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

